

IN SOLLEMNI
STUDIORUM SALMANTICENSEM
RENOVATIONE
ORATIO
DE MONARCHIAE
IN LITTERAS,
ARTES, ATQUE SCIENTIAS
PROMERITIS.

b16650566

ORATIO
DE MONARCHIAE
IN LITTERIS
VITÆ, VITÆ SCIENTIAS
AGITAMQ[UE]

4

IN SOLLEMNI
STUDIORUM SALMANTICENSEM

RENOVATIONE

ORATIO HABITA

A

P. M. F.

MARINO CUBOVIS,
*Cisterciensi; et Sacrae Theologie
Doctore.*

ANN. D^oN. MDCCCXXVIII

SALMANTICAE:

APUD JOANNEM VALLEGERA, TYP. UNIVERS.

IN SOLLEMNI

STUDIORUM SVLVMNTICENSIVM

RENOVATION

ORATIO HABITAT

*Honos alit artes, omnesque incenduntur
ad Studia gloria: jacentque ea semper quae
apud quosque improbantur.*

Cic. Tuscul. L. 1.^o

ANNO DMI MDCXXVII

— 10 —

SVLVMNTICENS

ALIO LOQUENSI PRAESES ET ALIIS CUNIBUS



Superiore anno, praeclarissimi Doctores, cum ad vos de humanioribus Litteris verba facere decrevissem, earum originem, progressus, vicissitudines, regiones etiam, atque aetates in quibus praecipue floruerunt, maxima qua potui diligentia investigavi.

Cumque non paucos elapsi potissimum atque praesentis saeculi offendere Scriptores, qui eas cum Republicis nasci, crescere, vigere, languescere quoque, et interire contendant; muneri meo non satis duxi facturum, ni sollempni hac Studiorum

(VI)

renovatione, exitiosam, quae ad nos undique confluentes Juvenes ab illarum cultu avertere posset, refellerem doctrinam, veritatemque ipsam plena in luce collocarem.

Quod quidem consilium, ut mihi necessarium, ita vobis pergratum fore, atque jucundum arbitratus sum: non enim ut videtis, levioris momenti aliquam, sed gravissimam agimus causam, quae vos, quae Academiam, quae ipsam, qua praeter Deum nihil nobis carius esse debet, Patriam spectat; nam si vel semel tantum humanitatis studia turbines, atque procellas desiderare populi, otium vero, tranquillitatem, leges, ut letale aliquod vulnus perhorrescere fateamur, nullum esse ex vestro ordine virum,

qui his clareat studiis, nullum unquam in hac Academia, qui bene de illis meruerit, nullum hactenus fuisse in Hispania hominem, qui ea feliciori coluerit exitu, confiteri quoque necessum erit.

¶ Et hoc, quam indecorum vobis, qui hisce Litteris plurimum delectamini!

¶ Quam injuriosum Academiae quae Brocenses, quae Leones creavit, quaeque totius humanitatis Parens dicta aliquando fuit!

¶ Quam probrosum huic nostrae Hispaniae in qua olim adhuc vehementius quam nunc hujusmodi colebantur studia!

Sin autem ut verum est, amoeniores Litteras à Regibus procreari,

(VIII)

sub Regibus creuisse, atque florescere ostendam; jam vobis debitus honos, jam suae Academiae laudes, jam Patriae decora sarta, atque tecta permanebunt.

At quoniam humaniores Litterae sublimioribus Scientiis, et Artibus stipatae fere semper incedunt; et illorum Scriptorum quidam eo usque progrediuntur, ut quod de illis, hoc etiam de his dicere audeant; ego quoque non tantum Litteras, sed Artes, Scientias, Disciplinasque omnes sub Principum potius, quam sub imperitiae multitudinis effloruisse regimine commons-trabo.

Audite igitur Juvenes, ea quia soletis benevolentia, audite me de rebus pulcherrimis vobisque utilissimis

(IX)

dissidentem: et si in perbrevi oratione majorem dicendi vim, verborum delectum, aut sermonis lepores certè desiderabitis; aliquantulam eruditio-
nem, nonnullum fortassis ordinem, ve-
ritatemque denique reperietis: cum
que optimae sit indolis istâ potius,
quam flosculis delectari, à vobis, quam
expostulo veniam, facile impetratu-
rum existimo.

myndum, quae nomen suorum
etiam ex quo auctoribus, mutatis
titulis, in locis apud
Urbem, et in sancto milievo, non

Et si de varia Artium, Scientiarum,
Litterarumque fortuna perpetuam ego
sim orationem habiturus, non eo ta-
men sum animo, Auditores, ut vete-
rem de gente quae primum illas ex-
coluit disceptationem hodierno die di-
rimere velim.

Omnium fortè honorificentissi-
mam lauream Assirio illi, qui Tigris,
et Euphratis oras inhabitavit, alii
concedant populo: non huic, sed cui
Indus nomen dedit, et quem alluit
Ganges jure alii deberi contendant: in
antiquissimo Sinarum Imperio primo

(XI)

illarum viguisse cultum affirment alii,
et tanquam pro aris id propugnent
et focis: Bayllius postremo appareat
aliquis, et hunc referat honorem At-
lantico populo, cuius nulla supersunt
monumenta, nullae leges, et cuius se-
des vel ipse qui finxit ignorare vide-
tur; cum omnibus his gentibus Reges
praefuisse constet, nulla ex illis opinio
est, quae sententiam nostram vel mi-
nimùm possit labefactare.

Sed quin tantam litem compone-
re videar, ego in eorum, qui honori-
ficum primatum Aegypto adscribunt,
facilè prolabor opinionem. { Quid enim
notius quam à primis post hominum
discidium temporibus, et Artes, et
Scientias apud Aegyptios colit? { Cui
non dictae, et Thebais, et Heliopolis;

(XII)

et Memphis? Cui ignotum Thalesium, Pythagoram, Platonem, aliosque plurimos, qui Greciae Magistri ac lumenia fuerunt, Aegyptum adiisse, et tamquam rudes pueros ab Aegyptiis derisos?

Jam verò Aegyptum turbulentum illud in quo, ut non minus venustè, quam verè Anacharsis dixit, *sapientes referunt, indocti stultique dijudicant*, nusquam expertum fuisse regimen, nec ille qui ipsius historiam vel à limine tantum salutavit, ignorat.

Nondum enim ulla habita erant comitia, nulla plebiscita, nulla senatus exstabant consulta; Athenae ipsae, et Roma, quae primas in Democratisa occupant sedes, nondum in populis numerabantur; et jam Aegyptus de

optimarum artium , atque scientiarum cultū gloriabatur , jam quam Homerus celebrat centum portarum extuxerat Civitatem : jam porticus , columnas , statuas , et illa Memphis fecerat miracula ; jam denique Cecropem creaverat illum , cui sorte datum est prima Minervae civitatis jacere fundamenta .

¶ Et quisnam vestrum est , eruditissimi Auditores , qui Athenas , sicut et Argos , Mycenæ , Pylos , et plerosque Danaum populos Reges primū habuisse nesciat ?

¶ Quisnam , qui primaevum illum regimen penes unum fuisse non concedat ?

¶ Quisnam , qui primas quas de civilis vitae cultu , deque amore Patriae

(XIV)

Graeci habuerunt notiones, Regibus qui adusque Codri illius, qui pro populo se devovit, vixerunt tempora, debitores esse non fateatur?

Quae licet verissima clarissimaque sint, non ideo si quam Respublica habuit gloriam, aut si quod homines, qui ea tempestate floruerunt, habuere meritum, verbis extenuare conabor.

Ego enim veneror Graeciam illam antiquam, (de nova dicant alii) ex qua olim sapientes, ut quondam de terra milites egrediebantur: ego illam patriam ingenii, optimi gustus magistrum, liberalium Artium, politiorumque Litterarum exemplar depraedico: ego Graecis sermonis veneres, dicendi copiam, aliaque plurima quae illis

tribuunt, non adimo, non repugno: verum tantum abest, ut hanc gloriam Democratis propriam existimem, quin jamdiu in meo illa animo insederit opinio Musas graecas plus Dionisiis, et Periandris, plus Pisistratis, et Hipparchis, plus demum Philippo, et Alexandro, quam universis populi debere suffragiis.

Si enim, ut observat Tullius, et quotidiana commonstrat experientia, *honos alit artes*; quos honores, quam dignitatem, quae praemia levis ille populus ingenio, studio, aut sapientiae offerebat?

Vos, si mihi fas, vos inquam, imploro, atque obtestor Socrates, et Phidiae, Miltiades, et Photonnes, Thucidides, atque Xenophontes! Vos, qui

(XVI)

aut diuturnum carcerem pertulisti,
 aut iniquum ostracismum subiisti, aut
 in perpetuum exilium profugisti, aut
 mortiferum potum hausisti! Nonne à
 Demagogia pro triumphis catenas, pro
 ingenio proscriptionem, pro doctrina,
 atque sapientia peracerbam mortem
 excepisti?

Quantum, Auditores incliti, quan-
 tum populus hic, qui oratores suos
 urbe prohibet, Rege distat ab illo,
 qui ad Cheroneam victor, quam jure
 belli evertere poterat Atheniensium
 Civitatem, liberam in eloquentiae gra-
 tiam intactamque relinquit? Quam
 non ingens reperitur discrimen inter
 Demagogos illos, qui mortis poculum
 summis Philosophis propinabant, et
 Magnum illum Alexandrum, qui in

(XVII)

luctuoso Thebarum excidio Pyndarī
veneratur domum , et ipsas eversae
civitatis ruinas in Poeseos gloriam,
tropaeaque convertit?

Et nobiles illae in sigeo lacrimae
cum fortunatum dixit Achyllem , quod
suae virtutis praeconem invenerit Ho-
merum ; gratus semper ille in magis-
trum Aristotelem animus , et Lampsaco
venia Anaximeni precibus concessa;
eximia illa suavitas qua insolentis Cy-
nici , inciviliumque Gymnosophistarum
superba exceptit responsa ; praemia de-
nique et munera super illius temporis
sapientes diffusa , nonne stimuli acrio-
res ingenio , quam clamores populi
plaudentis hodie , et exprobantis manè ,
aut heri coronantis postridie immolan-
dam victimam?

(XVIII)

Et illius quondam florentissimae civitatis fundatio, quae Litteras de Graecia fugientes hospitio recepit, quae illam omnium antiquissimam, atque celeberrimam Bibliothecam ut templum Diis, ita eam Musis dedicavit: quae eruditissimis hominibus, et optimis studiis per plura saecula affluit, nonne illustriorem eum fecit quam Granici transitus, quam Yssus Arbelaeque victoria?

Sed quid ego dispergo? Quid praeclera facta commemoro? Incorrupta temporum testis, atque magistra veritatis Historia jam diu suam gravissimam protulit sententiam, et auream Graecarum Litterarum aetatem non Democraciae, sed Monarquia, sed Alexandri saeculum compellare videmus.

(XIX)

Quod si Graecia in ipsa unius Imperium auspicatus fuit Litteris quam multorum, melius id Romani populi annales comprobabunt. Mihi enim, (et quod mihi idem vobis accidisse credo) felicia illius Reipublicae tempora consideranti, viri quidem in re civili atque militari eximii, et si placet, summi sese offerunt. Camillos, Decios, Fabios, Marcellos, ipsumque belli fulmen maiorem Scipionem video; sed dissertum, sed sapientem, sed Philosophum, sed Litterarum cultorem video ferè neminem.

Nec mirum! Superbus quem Sycophantae Regem dixerat, populus, rapinas, caedes, praelia, totiusque Orbis depopulationem libertatis nomine exercens, non tam litteras, scientias,

doctrinamque aspernabatur omnem, quam vi, armis, plebiscitis quoque, atque ipsius Senatus editis consultis repellebat.

Toto illo tempore quo Roma floriisse dicitur, Latium penitus inculatum fuit atque agreste; et tum cum civitas domesticis fessa discordiis dominatum ex postulabat unius; cum tribunicii furores, cum Marii Syllaeque proscriptiones, cum civile Caesaris bellum, et Triumviratus horrenda facinora feroce edomuerunt animos; cum Respublica ipsa primum labefacta, dein conquassata, postremo ab ipsis fundamentis convulsa Imperium, ut navis tempestibus disjecta portum, fortiter occupavit, tum demum pacificas Musas Tyberis oras inhabitare, et

quasi in proprio recreari solo videmus.

Tullius ipse quem perpetuo nobis
oppontunt Democratae, non jam in
placidis florentissimisque, sed asperis,
atque difficillimis vixit temporibus, in
quibus reipublicae Roma umbram
tantum, et inane nomen portabat;
nam litterariam juventutem suam sub
Marii, Cinnae, Syllaeque horroribus;
virilitatem sub illa Pompeii ferè om-
nipotentia; senectutem denique sub
Caesaris transegit imperio.

Et quisnam orationes quas illis
temporibus habuit, tanto auctore in-
dignas esse credat?

Ego quidem tam alienus ab ea
sum sententia, ut si quemadmodum
sentio loquar; majus aliquid mihi vi-
detur Cicero cuna privatus pro Mar-

(XXII)

cello, pro Ligario, pro Dejotaro deprecatur Caesarem, quam dum Consul in Catilinam invehitur, aut Antonium Senator insectatur.

Supremum denique Reipublicae diem in campis suis viderunt Philippi: Actiaca pugna nonnisi unum in civitate aeterna deinceps imperaturum sanctivit: et tum aurea illa incipit aetas quae Augusti decorata nomine tam perspicue probat Regiis magis quam popularibus auris Litteras delectari, nihil ut dari possit luculentius.

Tum Virgilius in Juliae gentis gratiam immortalem illam conscripsit Aeneidem: tum Horatius ut Maecenti placeret, Pyndari, et Anacreontis lyram primus in Latio fecit resonare: tum Livius quae sint Historiae

(XXIII)

leges, quae Historici fides, integritas,
veritatis amor praeclarissimo docuit
exemplo: tum Phedrus, tum Proper-
tius, tum Tibullus, tum plurimi alii,
quos adolescentes gestamus in manus,
Juvenes demiramur, ipsique, ut audio,
senectuti oblectamento sunt; et quos
si recensere omnes velim, nullus jam
esset finis dicendi.

Nec tamen molestè feratis, Au-
ditores benevoli, si tandiu in Latio,
et in Graecia versatus sum: his enim
nominibus perpetuo abutuntur Dema-
gogi; hos populos suum esse Achilem,
suum Palladium dictitant; et cum pae-
ne totius orbis testimonium illis oppo-
nimus, continuo ad Romam, et Athe-
nas nos provocant.

Sed quoniam scopulos, et vada
(si quae habet sententia nostra) jam
praetervecti sumus, placidioribus ven-
tis, et velociori cursu ad exitum fes-
tinabit Oratio.

Augusti elapso saeculo Litterae,
Scientiae, Artes tristi admodum, et
ineluctabili legi quae res humanas dum
culmen attingunt, deorsum ferri, et
in pejus ruere jubet, invitae licet ob-
temperarunt.

Et quid tum Principes, Reges,
Imperatores? Alii eas labentes susti-
nuerunt, alii intermortuas suscitarunt,
alii jacentes erexerunt, alii denique
pristino ac felici statui restituerunt.

Primo enim Trajanus, Antoninus,
Aurelius, Magnus etiam Constantinus,

atque Hispaniensis Theodosius cum illas praecipi tenuit ad interitum rapi viderent, praemiis, honoribus, et sua, ut ita dicam, imperiali manu detinere voluerunt: deinde cum illa Barbarorum proluvies Imperium simul et Litteras obrueret, Carolus ille Magnus etsi non iisdem auspiciis ut Imperii ita et Litterarum voluit esse instaurator: postremò clarissimi Principes qui saeculis xv. et xvi. praefuerunt auream Scientiarum renovarunt aetatem.

Et hujus quidem renovationis laus ita ad Principes spectat, ut socium habeant neminem. Nihil illis ex hac gloria Senatus, nihil comitia, nihil populares turbae decerpunt; sed tota quantacumque est, quae certè maxima est, tota inquam est ipsorum.

(XXVI)

Et quid de Pontificibus Maximis dicam, qui in renovatione si non primas, saltem praecipuas habuerunt partes, in conservatione verò per plurima saecula ferè solos adlaborasse, atque insudavisse videmus?

At ingentia summorum Ecclesiae Antistitum in Litteras promerita, ne si parum, injurius illis, si multum vobis sim molestus, consultò die hodierno praeterire volui.

Et quid de Magno illo Galliae Rege Ludovico XIV. et de ejus praestantissimo Administro Colbert, qui ut imperio, dignitate, gloria; ita amore in litteras, humanitate, atque liberalitate in sapientes Maecenatem illum, et Augustum si non aequarunt, certissimè superaverunt?

(XXVII)

Perpendite, Auditores aequissimi,
perpendite comitatem, affabilitatem,
benignitatem, queis Ludovicus Littera-
tos excipiebat, et eas cum immanni illa
saevitia, quam in nefariae Conventio-
nis temporibus experti sunt Sapientes,
comparate: divinam illam aut Melden-
sis, aut Cameracensis, aut Claromon-
tani Antistitum eloquentiam cum fu-
riosis alicujus Marat, aut Robespierre
clamoribus conferte: immortalia illa
scripta quae sub tanti Principis umbra
publicam aspexerunt lucem, et misera-
biles fetus quos infanda peperit
Respublica aequa lance pensitate: ex
alia parte honores, dignitates, prae-
mia; ex alia verò carceres, catenas,
fatalem denique securim appendite; et
utrum Demagogiae Genius Litteris

*

(XXVIII)

gratior Monarchiae Angelo , aut auspiciator sit , vos , vos inquam , judicate.

Si ex Gallia in Britanniam navigare velimus , nullumne scelestum Cromwellium inter , et Reges qui quos in vita amplissimis praemiis dignos iudicarunt Sapientes , etiam mortuos honoraverunt , eorumque cineres in regiis tumulis conquiescere voluerunt , discrimen reperiemus ?

Si Italiam , si Germaniam lustramus , populos qui semper sub Principibus fuerunt Litteris tamen , Scientiis atque Artibus florentes videbimus .

In Moscoviam si tendamus potentissimum inveniemus Imperium , et ipsius habitatores quasi uno ore audiemus dicentes : „Patrum nostrorum memoria terra haec quam inhabitamus

(XXIX)

„horrida: incolae rustici, agrestes, in-
„culti, barbari: Litterae, Scientiae,
„omniumque bonarum Artium studia
„penitus silebant: at nunc maximis
„Principum nostrorum laboribus om-
„nia in melius mutata conspicimus:
„agri, urbes, regiones ipsae aliam spe-
„ciem offerunt; et cum nominis clari-
„tate, potentia, atque armis, tum
„civilis vitae, Artium, et Scientiarum
„cultu aliis Europae populis aequales,
„aut forsan superiores esse jam no-
„bis videntur.”

Si vel illos antiquos Arabes ex
suis, in quibus jacent tumulis, educere
velim, Principes etiam ostendam qui
luctuosam Alexandrinae Bibliothecae
deflagrationem quasi expiantes, tanto
studio litteras prosequuti sunt, ut eis

primas in illarum renovatione eruditissimus nostrae aetatis , saepeque de Hispania meritus Scriptor tribuere non dubitaverit : sed haec, et alia multa, ea que omitto praeclara, ne forte Hispano Hispanos , atque Salmanticenses alloquenti vitio vertatur id ex aliena mendicare Historia, quod in Patriae, quod in Academiae monumentis ita insculptum manet , ut omnium oculos offendat intuentium.

Quando enim Hispania Respublica fuit? Quando suprema penes populum extitit potestas? Nonne ab Atalulpho ex inclita Gothorum gente , ad Augustum usque (quem D. O. M. aeternum servet) FERDINANDUM, semper in Hispania Reges imperasse legimus?

(XXXI)

Et quae Natio tam optimè de
Litteris merita quam dulcis haec , no-
bisque Patria charissima?

Num in earum instauratione ma-
ximam habuisse partem inficiari quis-
quam potest?

Num fausto illo , totque nominis
bus illustri saeculo xvi. ut imperio, et
armis, et gloria , ita et Litteris, et
Artibus , et Scientiis caeteros omnes
superabamus?

Jam verò honos is ad optimos
quos habuimus Principes ita spectat,
ut mihi qui aliud sentiat , si alienus
injustus , si Hispanus ingratus , si (quod
de nullo vestrum ne cogito quidem)
Salmanticensis impius quoque esse vi-
deatur.

Omnes enim, quibus haec antiqua

Studiorum Parenſ decoratur, tituli, omnia officia, dignitates, munera queis permulti filiorum exornati, parietes isti qui nos circunſtant, tecta quoque ſummam Principum noſtrorum in Litteras depraedican benevolentiam.

Alphonsus IX. Legionis, D. Ferdinandus et Legionis, et Castellae Rex, Alphonsus X. cognomento Sapiens, Joannes II., immortales Reges Catholici, dum hanc Academiam fundabant, augebant, ornatabant, inter alia, haec quoque agere arbitrabantur, ſuum in Scientias amorem ſpargere, ac diſeminare in orbis terrae memoriam ſempiternam.

Fortissimus Imperator Carolus V. qui nec inter ipsos belli furores à litteris avertit oculos, et noſtrorum Poe-

(XXXIII)

tarum (si unum forte Leonem excipias) facile principem Garcilassum summè dilexit, eumque etiam in castris socium habere voluit: Prudentissimus ejus filius, qui in illo verè Regio quod D. Laurentio sacrum esse voluit Monasterio, aeternum suae pietatis, suaequa in Artes, et in Scientias liberalitatis reliquit monumentum: Quintus Philippus, Carolus III. qui inter nos iterùm jacentes, denuò eas instaurarunt; nunquam, ut opinor, sine laude in litterariis fastis commemorabuntur.

Et quid de OPTIMO REGE NOSTRO, Litterarumque amantissimo FERDINANDO, dicam?

Ego quidem multa, eaque magna dicere possem; sed cum die illo sollemni quo beneficio vestro, humanis-

sum Doctores, Doctor et ego remun-
tiatus sum, tanti Principis in Scientias
promerita quibus potui laudibus cele-
brassem; ne actum agere videar, quae
in recenti, atque arduo quod pro sa-
late Patriae aggressus itinere imparti-
tus est, ea tantum recordabor beneficia.

Et primo quidem: Regiam illam
munificentiam qua praeclarissimam
Cervariensem Academiam pristino
splendori restitui curavit, quis dignè
unquam celebrare poterit?

Erit, erit profecto tempus, et
illucescat aliquando dies, in quo ad
posteritatis memoriam aureis litteris
scriptum relinquetur: „Philippus V.
„magnificas aedes à fundamentis ere-
„xit, easque Musis sollemni ritu de-
„dicavit: Barbari quidam non minus

(XXXV)

„Litteris , quam Hispaniae , quam Re-
 „ligioni infensi diruerunt , exturbarunt,
 „paene delerunt : eas collapsas FER-
 „DINANDUS VII. instauravit .”

Qua verò benignitate Pintianam
 (de Caesaraugustana audivimus om-
 nes) Regia sua honoraverit praeSENTIA,
 inter Professores assidere , et publicis
 exercitationibus praeESSE voluerit, mon-
 ego , sed vos , DIGNISSIME RECTOR , for-
 tunatique Doctores , qui pro Acade-
 mia longè honorifcentissimam obiustis
 legationem , enarrare potestis.

At non tantum in OPTIMO
 PRINCIPE hic in litteras splendet
 amor, sed quod omni laude, praedicatio-
 ne, monumentisque decorandum, ipsa
 REGIA CONJUX omnibusque abso-
 luta numeris JOSEPHA AMALIA,

*

(XXXVI)

non solum illis protectricem manum
extendere dignatur, verum quod ma-
jus, et propè miraculum, eas cum ipsa
in solio Regio sedere jubet.

Quis illos ad ss. IESU COR, legit
versus, et tantam in REGINA pie-
tatem, divinumque numen non laudat?

Quis flebile illud ad REGEM
proficiscentem carmen auscultat, et
Musas, et Virtutes uno eodemque
Choro amico foedere vinctas non de-
miratur?

Quis jam videns REGINAM post
hominum memoriam piissimam, felici-
bus auspiciis excolentem litteras, dul-
cesque modulantem cantus, illas sub
Regum Imperio florere non posse
contendat?

Quisnam:..... sed incredibilis illa

OPTIMAE REGINAE modestia, ne
longius progrediar, jubet.

Si ergo Litteras, Artes, Scientias
sub Regibus primùm effloruisse con-
stat; si qui eas in Graecia excoluerunt
maxima à Principibus beneficia, à De-
magogis summas receperunt injurias:
si Roma nonnisi post Reipublicae fa-
tum auream suam vidit aetatem: si
Principes illas collabentes detinuerunt,
si mortuas suscitarunt, si jacentes ere-
xerunt: si Hispania haec nostra in
qua felicissimo omine semper Reges
imperarunt, inter populos qui benè
de illis meruerunt, jure meritoque re-
censetur: si denique quos maximo
DEI beneficio nunc habemus Princi-
pes non tam earum Protectores, quam
Cultores esse gloriantur; vos, quorum

(XXXVIII)

praecipue causa haec dixi Juvenes,
 vos, inquam, qui Litteras, qui Scien-
 tias omnes florentes videre, et in illis
 proficere vultis; qui fortassis honores,
 dignitatem, gloriam ambitis; non po-
 pulares tumultus, sed pacis, sed ordi-
 nis, sed paternum Regum Imperium
 desiderate, diligite, amate: nec sub
AUGUSTIS FERDINANDO ET
AMALIA infelices ferè omnium, qui
 in Republicis floruerunt, exitus per-
 timescatis; sed quam sapientissimi hu-
 jus Academiae viri, quos in maxima
 luce collocatos vidimus, experti sunt,
 fortunam exspectate.

Dixi.